



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1847

CCLXXXVII. Der Patriarch Johann von Alexandrien fordert auf Befehl des Papstes Gregor eine Procuracion von 200 fl., am 26. Januar 1372.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

CCLXXXVI. Quittung für den Brandenburger Clerus, über die Erfüllung gewisser, dem apostolischen Stuhle schuldiger Abgaben-Leistungen, vom 28. Dez. 1371.

Herbordus, prepositus ecclesie sancti severi Erfordensis, Moguntine dyoecsis, collector fructuum et pecuniarum, ad cameram apostolicam pertinentium, a reverendo in Christo patre ac domino, domino Johanne episcopo Wormatiensi, apostolice sedis nuncio deputatus, Tenore presentium recognoscimus, quod ab honorabilibus viris, dominis Hentzone Grestorp, canonico Brandenburgensi, Johanne, decano in Cozwik, Brandeb. dyoecsis nomine procuratorio reverendi in Christo patris ac domini, domini episcopi Brandeb., ac cleri exempti et non exempti suarum civitatum et dyoecsis, ratione tertie partis communis servitii et sexte fructuum, redituum et proventuum ac byennalis procuracionis, per dominum Urbanum papam V. indictorum, solventibus septingentos et octoginta florenos de bono auro et pondere nomine dicte camere in parato recepimus, prout dominus et magister Apetzko, prepositus Berlinensis, ipsius dyoecsis Brandeb.; procuratorio nomine ipsius domini episcopi et cleri predicti cum reverendo in Christo patre ac domino, domino Nicolao Mayeriensi episcopo, absolvendo eosdem composuerat, concordaverat et convenerat. De quibus quidem septingentis octoginta florenis nobis persolutis supradictos dominos, episcopum et clerum, ac ipsos Hentzonem Grestorp, Johannem decanum presentibus nomine predictae camere quitamus et quitos dicimus et solutos. In quorum testimonium sigillum nostrum duximus appendendum. Actum Erfordie, Moguntine dyoecsis predictae, anno domini M^o. CCC^o. LXX^o. primo ipso die sanctorum innocentum.

Nach dem Originale.

CCLXXXVII. Der Patriarch Johann von Alexandrien fordert auf Befehl des Papstes Gregor eine Procuracion von 200 fl., am 26. Januar 1372.

Johannes — patriarcha Alexandrinus, apostolice sedis nuncius, reverendo patri in Christo ac fratri — — episcopo Brandenburgensi ejusque vicario officiali, thesaurario, receptori, sigillifero et eorum loca tenenti ac venerabilibus viris capitulo et singulis canonicis ipsius ecclesie Brandenburgensis etc. Noveritis, quod sanctissimus — — Gregorius — papa undecimus, nos ad partes Alamanie, Boemie, Ungarie et nonnullas alias pro magnis et arduis ecclesie Romane negotiis destinans per suas litteras apostolicas concessit et ordinavit, quod nobis pro singulis diebus per ecclesiasticas personas, per quarum loca nos contigerit declinare, pro expensis nobis necessariis quindecim florenos auri nobis assignavit pro qualibet die, prout in dictis litteris apostolicis nobis concessis plenius continetur, quarum tenor sequitur in hunc modum: Gregorius etc. venerabilibus fratribus Patriarchis etc. etc. in Germanie, Ungarie et Boemie et aliis partibus ultra regnum constitutis, ad quos etc. salutem et apost. bened. Cum venerabilem fratrem nostrum, Johannem Patriarchum Alexandrinum, apostolice sedis nuntium, exhibitorem presentium, ad Bohemie, Ungarie et certas alias partes, pro quibusdam negotiis, per nos ejus circumspectioni commissis, principaliter destinamus, universitatem vestram rogamus et hortamur attente per apostolica scripta vobis mandantes, quatenus eundem nuntium, cum per partes vestras transitum fecerit, ob reverentiam dicte sedis et nostram benique recipientes et honeste tractantes ipsi nuntio, prosecutioni negotiorum hujusmodi insistenti, diebus singulis, quam

protenus Germaniam intraverit, videlicet partes ultra Renum quindecim florenos auri pro expensis suis necessariis et de securo conductu nec non de evectionibus oportunis, si sue forsan in via decefferint vel defecerint aut alias fuerint impeditae, cum super premisis per eundem nuntium vel pro ejus parte fueritis requisiti, vobis tamen, quam primum commode fieri poterit, evectionibus restituendis eidem, in eundo, morando et redeundo, donec Galliam intraverit, scilicet citra Renum liberaliter providere curetis et si forsan eundem nuntium in aliquibus terris sive locis vestris ex aliqua justa causa moram trahere forte contigerit, volumus, quod non solum vos prelati et persone ecclesiasticae terrarum et locorum ipsorum sed etiam vos patriarche, archiepiscopi, episcopi, clerici, abbates, priores, decani prepositi, archidiaconi, archipresbiteri, plebani, rectores et alii ecclesiarum prelati seu nostri vices gerentes ac persone ecclesiasticae quaecumque religiose et seculares ac ecclesiarum et monasteriorum capitula et conventus exempti et non exempti Cisterciensis, Cluniacensis, Cartusienensis, Premonstratensis, sanctorum Benedicti et Augustini et aliorum ordinum quorumcumque nec non sancti Johannis Hierosolimitani et beate Marie Teutonicorum et humiliatorum magistri, priores et preceptores vicinarum et aliarum civitatum et diocesum circumpositarum nostrarum, — in provisionibus et subventionibus hujusmodi contribuatis, sic itaque mandatum nostrum hujusmodi efficaciter adimplere curetis, quod devotionem nostram commendare merito valeamus. Alioquin etc. Datum Avinione IV. Kal. Octobris pontificatus nostri anno primo. Cum autem postmodum pro nunciata nobis legatione necessaria hujusmodi stare et morari in diocesi Misnensi tam pro expediendo negotia per dominum nostrum papam commissa et nonnulla cum serenissimo principe et domino imperatore et magnificis principibus dominis marchionibus Misnensibus quam etiam ex certis aliis justis causis per tantum tempus, quantum a reverendo in Christo patre domino episcopo Misnen. et ejus clero pro stipendiis cum vadiis nobis, ut premititur, per dominum nostrum papam assignatos florenos recepimus; nos vero attendentes, quod in hujusmodi tanta summa per ipsos solvenda idem dominus episcopus et ejus clerus plus debito gravaretur et attendentes, quod onus in diversis partibus divisum lenius supportetur, idcirco vobis aut vestrum cuilibet auctoritate apostolica, qua fungimur in hac parte, tenore presentium discrete precipientes et sub penis infra scriptis mandamus, quatenus infra decem dies a presentatione seu notificatione presentium vestrum aut vestrum alicui factum, quos vobis et vestrum cuilibet primo, secundo, tertio et peremptorie tertio et monitione canonica assignamus, eidem domino episcopo et ejus clero in ducentis florenis aureis boni et legitimi ponderis contribuatis et eosdem ducentos florenos in civitate Misnensi venerabilibus viris dominis Nicolao decano Misnensis, conrado Pufin, Budissinensis et Johanni de Dronitz, Haynensis ecclesiarum prepositis ac canonicis Misnensibus, quibus et eorum cuilibet in solidum plenam et liberam potestatem predictas pecunias recipiendi et quittandi dedimus concedimus et tenore presentium damus et concedimus, nec non duos florenos pro notario nostro apostolico pro ejus scriptura infra dictum terminum vobis assignatum solvatis, vestris camere sumptibus periculo et expensa, nec non pro nuncio ipsarum lateri presentium singulis diebus, quibus in eundo ad vos, morando et demum redeundo pro expensis suis in uno floreno auri providere curetis. Alioquin etc. Datum in Budiffina, Misnensis dioecesis, XXVI. mensis Januarii, anno domini MCCCLXXII, pontificatus dicti domini nostri pape anno secundo etc. —

Nach dem Original (im Auszug).

Anm. Vom Jahre 1370 ist auch eine Urkunde vorhanden, worin der Erzbischof von Magdeburg und die Bischöfe von Meissen, Merseburg, Raumburg, Brandenburg und Pabelburg protestiren gegen eine ihnen aufgelegte Contribution des apostolischen Stuhles.